

successit Johannes de Nasauw, frater supradicti Adolffi. Et ambos tam Conradum quam Johannem confirmavit et eis providit. Huius tempore antipapa Clemens septimus mortuus, et anticardinales elegerunt Benedictum tredecimum antipapam. Qui iuravit et vovit, laborare pro unione fideliter.

Innocencius septimus successit in Roma anno domini 1404, electus die 17. mensis Octobris eiusdem anni. Et antequam electus fuisset, cum intrarent conclave ipse tunc cardinalis cum aliis cardinalibus, sollempniter et publice voverunt, iuraverunt et promiserunt etc. omnibus modis laborare pro unione ecclesie. Sed superbia kathedre more Lolhardorum, ut fuit inflammatus, nichil egit. Sed statim postquam duobus annis rexit, mortuus Rome, ibidem sepultus anno domini 1406, die 6. Novembris.

Et per eosdem duos annos clerus Wormaciensis in magna fuerunt discordia cum civitate Wormaciensi. Totus eciam clerus extra civitatem Wormaciensem fuerunt ad tres annos et amplius. Ipsi clero dominus Rupertus rex fortiter assistebat, civitati vero dominus Johannes archiepiscopus Maguntinus cum magna liga principum et civitatum. Sed clerus videns se derelictum ab omnibus vasallis suis, cepit pugnare gladio spirituali et cives processibus multipliciter gravare in tantum eciam, quod (*hs.*: pro) porte civitatum, opidorum et villarum claudebantur ad adventum eorum, nec intromittebantur ad emendum vel vendendum, ita quod cives Wormacienses et presertim mechanici male steterunt et inceperunt se et sua a civitate alienare. Tunc prefatus dominus Johannes archiepiscopus Maguntinensis una cum domino Ruperto Romanorum rege eosdem concordarunt. Hic eciam papa providit magistro Matheo de Cracovia de episcopatu Wormaciensi vacante per mortem domni Eckhardi de Ders, qui obiit anno domini 1405, die 9. Maii.

Gregorius duodecimus Venecianus successit Rome, electus anno domini 1406. in Novembre. Similiter iuravit et vovit laborare pro unione ecclesie eciam cedendo papatui, si necesse fuerit, et ita eciam scripsit. Et ita eciam post coronacionem
 * f. 240^v. ratificavit et ita eciam scripsit omnibus regibus *et principibus, ac eciam antipape Benedicto XIII. similiter. Qui eciam Benedictus in sua electione similiter et iuravit laborare pro unione, eciam resignando. Prefati itaque duo pape, Gregorius scilicet et Benedictus, quia non laborabant pro unione, nec servarunt vota et iuramenta sua, ideoque cardinales utriusque partis ab eisdem se subtraxerunt et ad civitatem Pisanam convenerunt (*hs.*: convenerant), tractantes simul de union eetc. Et concilio universali per totum christianismum convocato ad eandem civitatem Pisanam, ubi convenit maxima multitudo doctorum et ambasiatorum regum et superiorum christianitatis,